[illegible] ...mius Dominicus

Profecki Gabrielis: Trabea ducalis —

TRABEA DUCALIS,

Perpetuo Purpurati Sangvinis meritorum, & gloriæ ſplendore,

ILLVSTRISSIMI OLIM, & EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. ANTONII DOMINICI

DUCIS IN KLEWAN

CZARTORYSKI,

CAPITANEI LANCKORONENSIS,

ab extrema mortalitatis caligine

VINDICATA;

ATq;

Dum Ei juſta Funebria in Eccleſia S. Crucis PP. Miſſionariorum Varſaviæ,

in frequentiſſima Magnorum Hoſpitum Corona, acerbiſſimo omnium dolore perſolverentur,

A

M. GABRIELE PROFECKI,

Philoſophiæ Doctore, Regio & Curſûs Vladiſlaviani Profeſſore, Collega Maiore, Præpoſito Rymanovienſi,

in lucem publicam

PRODVCTA.

Anno Verbi Trabeâ mortālitatis induti 1696. Die 29. Menſis Maij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

TRABEA DVCALIS.

PRoximo Diuis Regûm sanguine, prænitens ad immortalitatem;
Serenissimæ Propaginis specimen augustum;
Principalis fortunæ & purpuræ, continua illustriûm decorûm
serie collucentis,

Vocale indicium.

Cùm perennis terrestriûm Numinûm Lucina, per vota publica esse debueras;
quo tandem acerbæ Vicissitudinis hespero, in noctem funebrem properas?

Aude calame,

& læsæ Maiestatis reum, qui talia ausus, dolenti sepia inscribe.
Vindex cælum, audax iniuria vtrumq; habet.
Quæ dùm summa eripi videt, terram quærulari dispensat.

Nempe Illis,

commune cum Ioue Imperium; qui potiore inter mortales eminentia,
Iouis solium contingunt.
Hos lacessere præsumens, grande piaculum accersit.
Cui *nolite tangere Christos*, lex æterna, Regio ore præcepit.
Sed dùm talia audes,
metire Te, ne leuis, grandia tentes.
cum fatis res est.
Quibus nec preces, nec vota intercedunt, præsertim si quid sibi Cæli poscunt.
Communis hæc, & semel indicta necessitatis lex, æquè sūma ac ima depascitur.
Quam in ius vocare, diris vrgere, damnare,
multi dolore rationis exsorte compulsi, tentarunt;
tandem suâ culpâ conuicti cesserunt,
postquàm Dictatoriam hanc esse potestatem,
à qua prouocare non licet, senserunt,

Verte stylum.

& qui mortalia vindicare non sufficis, immortalitati consule.
Non eodem tumulo, quo corpus tegitur, animus tumulatur,
prospexit breuiori vitæ, longior memoria.
Hanc qui rectefactis meruit, non momento extinguetur in vno;
sed sæcula vincet, & supra omnem mortalitatis caliginem radiabit.

Hinc disce.

Non totum hominem mori, qui meliori sui parte,
animo immortaliū operū capacissimo, Libitinæ imperia praeciderit.
Hoc in præcelsæ mentis,

Celsissimi

Celsissimi olim, & Excellentissimi PRINCIPIS,

ANTONII DOMINICI,

Ducis in Klewan,

CZARTORYSKI,

CAPITANEI LANCKORONENSIS.

Vivo Exemplari, profundo cultu Venerare.

Trabea Illius Ducalis, etiam in mortis nubilo serena,

Faculæ nocturnarum tenebrarum ocello similis; quam, dùm densa nubium volumina, nunc involuunt nunc detegunt: putares sidus à nubibus circumferri; & tamen nubesq; ventosq; despicit, & agmen ducit, reliquorum siderum anteambulo.

Sic illa,

Ipso occasu illustrior; æternis Virtutum radijs gratiùs irradiat; vt astrorum flammæ, dùm renovant occasibus ortus.

Quidni Cælestium Naturam ignium æmuletur?

Cuius perenne lumen accendunt, communicati cum Regibus Hungariæ, Bohemiæ, Archiducibus Austriæ, magnis Lithvaniæ Ducibus, Marchionibus Burgundiæ, splendores.

Primum eius Clarissimum jubar effulsit, in GEDIMINO duodecim Nepotibus aucto; quibus cum homagio debetur, quidquid in Regno Poloniæ, triumphorum; in Magno Ducatu Lithvaniæ sanctioris & cultioris vitæ; quidquid candoris; & memorandæ per sæcula famæ; æternus Annalium honor prædicat.

Zodiacum hanc Trabeam dixeris:

Cuius è duodenis, faustis, & salutaribus humano generi signis, Principale; SOLES, Magnorum in Regno honorum pariumq; meritorum conducit, Coronatorum Parens luminum LUBARDUS.

à Quo

ut Ducalis Trabeæ, ita fulgurantium Sceptris Poloniæ Novem Serenitatum,

IAGELLONIS, VLADISLAI III. ALBERTI, ALEXANDRI, SIGISMVNDI I. SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. IOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS I. prodijt origo.

Atavis edita Regibus,

Ducum: CZARTORYSCIORVM inclyta propago, intendit, non remisit, coruscam meritis Ducalis Trabeæ Celsitudinem: In CONSTANTINO Czerniechoviensi, Severiensi, Czartoryensi, primo iure hæreditario Duce; FEDORIO, ALEXANDRO, IOANNE, CZARTORYSCIIS, eximijs contra Tartaros, Volhyniæ & Podoliæ, cædes & vincula intentantes, Bellatoribus:

 Qui

Qui ad Luceoriam, proprijs sumptibus milite conducto,
dùm gloriosi victores cadunt, tota æternitate merentur triumphū,
Splendida honoribus
in ALEXANDRO, Palatino Volhyniæ,
qui difficili belli Moschovitici tempore, par Palatinatui Kiioviensi tutando,
prudentissimo Serenissimi Regis Augusti arbitrio:
pro sua Troia alter Æneas Lechicus laboravit.
In JANUSSIO Serenissimi STEPHANI Regis, contra Moschos comite;
qui in Livonica expeditione sangvinis & spiritûs heroici,
Deo & Patriæ profusione litavit.
In GEORGIO, & ANDREA Ducibus Czartorysciis,
post tot in Livonicis alijsq; periculosis expeditionibus,
gloriosè parta trophæa; altùm indolente Patria,
ad Cælestes palmas evectis.
An non multiplici gloriæ pulchra per vulnera partæ nitore
splendidissima Trabea Ducalis?
Verùm in hāc è proximo reflexi illustriū gestorū radij acriùs vrūt,
Illustrissimi NICOLAI GEORGII CZARTORYSKI,
Avi Paterni; Suecorum in Livonia, Scytharum, Turcarum,
Moldavorum in Valachia, toties fortunam triumphantis,
quoties captivam abduxit.
Maximè auspicatam, & Magnificentissimam, quis negaverit?
in illustrissimo & Excellentissimo Parente IOANNE CAROLO, Duce in Klevan CZARTORYSKI, Succamerario olim Generali Cracoviensi; Lanckoronensi, Sniatinensi, Cremenecensi, Punensi, Marcoviensi, Bochnensi, Vielicensi, &c. &c. CAPITANEO.
Viro, per Tribunalitia Regni subselia, per Generalia Comitia,
Commissiones publicas, Comitia Electionis gloriosissimo;
& propter consiliorum salubrium felicitatem; excelsi iudicij,
illibatæ fidei amplitudinem, vbiq; desideratissimo.
Illustrissimis Patruis,
FLORIANO, Archiepiscopo Gnesnensi, Patriæ gemma,
amore Regûm, Ciuiûm salute.
MICHAELE, Palatino Sandomiriensi: ore, manu, pectore,
& spiritu toto incommoda Regni, & gloriam Gentis
præcipuè in Legatione Moschovitica effusissimè propendente.
Dilectissimis Fratribus,
NICO-

NICOLAO CASIMIRO Vilnensi primò, post Cracouiensi
Canonico, MICHAELE, Cremenecensi Capitaneo, Fratribus
germanis; immaturè quidem fatis, sed maturè Cælo,
postquàm satis Deo vixissent, altius è terra euocatis.
Tota Celsissimis fulgoribus Trabea præfulgens,
Principem velut Phæbum suum coronauit:
Sed non minori ingeminant splendore lucem,
funereas tædas recreantem, circumfulgentia Materna decora.
Murus hæc munierat, sine porta; aurea KONOPACIORVM
arma præsignans, vt victoriarum & securitatis publicæ signa
infallibilia; ita contra fatalem mortalitatis caliginē fulgida præsidia.

Illustrissimum MATHIAM,
Palatinum Culmensem appello.

Qui non exigua decora huc inuexit cùm ex Palatinó,
Episcopus Culmensis factus,
non sine Paternæ virtutis successoribus Filijs;
altero IOANNE CAROLO, Abbate primùm Vachocensi,
post Abbatiam Tynecensem, in gloriam meritorum, in Deum,
Patriam, & Principem, à Serenissimo VLADISLAO IV.
vendicante; tandèm Varmiensi Nominato.
altero IACOBO, Principis Illustrissimi Auo Materno,
Vexillifero primū Pomeraniæ, post Castellano Elbigensi, dignissimo,
ipse augustus in duobus Filijs Ternio, triplici hoc virorûm præsidio,
insigne Trabeæ decus muniuit; pro qua multoties sese opposuit.
Par pretium & prærogatiuam accepit, in GEORGIO à Konopat,
Cápitaneo olim Vielisiensi, & Senatore Prussiæ: grauitate,
prudentia, animi magnitudine, dexteritate,
Orbi Lechico prælucente;
Quod in Amazone altera,
Nullo alio, præter sexum à Magnanimis heroibus diuersa,
rara Mulierum prudentiâ felici:
Illustrissima olim MAGDALENA de Konopat CZARTORYSKA
Lithaui, in Ducem suum raro exemplo paricidij vindice iustissima,
non inuenit modò; sed propero cursu Matris ad immortalitatem
Comes, æternitate consignauit.
Verùm non inde tantùm Trabeæ serenitatem æstima:
Conare maiora calame,
ampliora Illustrissimorum Antenatorum decora scrutare;

Ex Auia Paterna,

Lucem luci accumula, vt Trabea nitidior appareat.
Quam in Illustrissima olim CORECCIORVM Ducûm Familia accipe;
nec Maternæ HEYDESZTENORVM Celebratissimæ in Prussia, immemor.
Si pari merito vtriusq; , non dissimilia pretia Cælum indidit,
Orbis Polonus probauit? Par vtriusq Illustrissimæ Familiæ,
in splendores Trabeæ impendium nota.
Splendida monilia solicitè ne quæsieris.
præsto sunt, quæ cum Conditore Lecho in exstruendis Poloniæ fundamentis,
in lapidem angularem data; ex quo Regnum sustentare cæperunt:
hæc & Illustrissimæ Domui CZARTORYSCIANæ,
simul fulcra posuerunt.

Et hæc.

In VISNIOVECIIS, ZASŁAVIENSIBVS, OSTROGIENSIBVS,
RADZIVILLIS, ZBARAVIENSIBVS
quibus commune genus, decusq; commune Principibus;
ZOŁKIEVIIS, CHOTKIEVICIIS, ODROWASIIS, OSTROROGIIS,
CAMENECIIS, LANCKORONIIS, MIESZKOVIIS, PRZYEMSCIIS,
TARŁOVIIS, DONHOFIS, PSZANCIS, ZEBRZYDOVIIS, GOSIEVSCIIS,
SAPIEHIIS, SŁVZCIIS, OPALINIIS, OGIENSCIIS, MNISZKOVIIS,
SZAFRANECIIS, DZIAŁYNIIS, STADNICIIS, ZAREMBIS,
WROCHOVIIS, MORSZTINIS,
primis Patriæ decoribus, per connubialia fœdera,
in pretia Illustrissimæ Domui sociatis venerare.
Omnia hæc immortalis gloriæ, & perennis vitæ pignora:
Quæ cùm aliena sint, si parua fortè, tu qui legis existimas:
Genus & Proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putans;
Ergo à proprijs decoribus, Trabeæ contemplare Maiestatem.
Vbi, Tuis iam Te augustum exhibe ornamentis,
purpureæ flos ætatis,
Illustrissimæ Domûs expectatio, Regni spes, & Magni fortuna fauoris:
Illustrissime olim, & Eccellentissime PRINCEPS,
ANTONI, DUX in KLEWAN CZARTORYSKI.
Vocalis de Urna fama meritorũ est, etiam post fata:
si & mortui habent vocem suam.
Contende alterius vitæ hæres, in exemplum immortalia celebrare,
consummatus in breui, explere tempora multa,
præclarè populos nepotûm erudies.
Modestiam summos mortalium decere,
& à Dijs æstimari, modesto de Te sensu palàm fecisti mortalibus,
nec cùm benè faceres, videri optabas.

Quare

Quare cùm non proderit ista tacere, quorum spectator & admirator eram;
rara Iuuentæ, in tanta fortunæ indulgentia,
laudandis operibus intendentis, præconia;
Magnorum indicia successuum, & Trabeæ augustalia,
Non sine ingenti promo dolore.
Solis occasu ortus portenditer, & qualis futurus sit vesper, tempus indicat matutinum.
Hæc tua fuêre primordia.
Qui in Metropoli Regni, primam lucem aspexisti,
sub Iouis prospero fulgore natus, cuius & dies ille erat,
vt vagiens inter fascias, ipso vultu sereno,
Iouis in Te omnia plena exhiberes.
Procul à Te,
malignantium Planetarum inclementia,
Qui affabilis dictu, oreq; gratioso facundus, beatior Phœbus,
in Celsissimo olim DUCE Severiæ,
ANDREA TRZEBICKI, Episcopo Cracoviensi,
ad salutaris fluenta Scaturiginis Catatractum etsi,
CYGNVM tamen indutum, cælestia canere,
dum ex Aqua & Spiritu Sancto renascereris, erudivit.
Non quolibet fluvio, nascuntur Vniones,
Erythreum tamen propter hos non navigat Polonia:
LUBOMIRSCIO felicissima Hydaspe.
Cujus Nativa Numina,
Palatino Cracoviensi honore effulgentia,
dum Te sanctiori alluvie, Fonte Baptismali perfusum elevant:
Vnionem pretiosissimum, Orbi Hyperboreo inserunt.
Pretium inæstimabile dignis PRINCIPE moribus spoponderas:
nisi Cælum Te suis splendoribus maturum invidisset.
Magnum de Te, in flore adhuc fructus futuri omen erat;
qui Te cerneret, præter ætatem, nihil immaturum probavit.
Cui gravitas vltra annos; Sapientia vltra spem;
amor hominum vltra merita; rara pietas in Senibus:
Tibi Iuveni peculiare negotium,
si septenni profunda mysteriorum indagatio,
tum, cum alijs mollis arena ludus, totaq; occupatio esse soleat.
Acre Tibi ingenium:
Vis discendi stupenda; sciendi vltra vires desiderium;

 percipi-

percipiendi promptitudo ; Cui legiſſe, ſcire erat.
nec mirum : cùm à ſigno Crucis omnia ordireris.

Crux Cathedra CHRISTI,

ſed & Tibi Magiſterium.

Illi Tu ſurgens, & in dulcem lumina ſomnum componens,
per oſcula mille, obſequentem Te Diſcipulum deuoueras.

Crux Tibi placuit:

nec alibi, quàm ſub ſceptris in Crucem compoſitis,

Auguſta Iagellonis Propago,

bonis in artibus proficere voluiſti: vt, ſi ibi ſapientia non fucata,
vbi Crux; de ſumma rerum, vna laudabili contentione:
Cruce nimirum, & ſapientia ageres, deſudares.

Tibi ergo ſine mora profectus,

Cui capacitas ſine tædio, à Cruce ſalutaria ediſcendi.
Hinc tribus luſtris Iuuentam ſimul & humaniora expediens;
Reginam Orbis Sapientiam, Tullius pro Domo Tua,
poſtquam in egreſſu de Roſtris Collegij Nouoduorſciani celebraueris ;
altiori genio maiora aggredi cœpiſti.
In limine adituq; ipſo, pleroſq; grandia fatigant ;
nec nouum multos, quàm leuaſſent onus,
ipſius terroris magnitudine perculſos, cecidiſſe.
Tibi erectior animus, per anguſta ad auguſta currendi:
Qui Curſus Vladiſlaviani præceptis imbui,
pulchrum & decorum Tibi ;
ſed & conforme ad Magna natæ Indoli duxiſti.
Stupori applicatio Tua erat, Cui ad Cleantis lucernas,
inſomnes etiam noctes ducere, ſumma quies :
dùm quod ſcrutaueris, penitiùs intelligeres, viſa.

Nec ſine ſucceſſu conatus;

Quem auſterior vita, ferreis catenis, nudo corpori admotis,
crebrioribus diſciplinis, ſtylo ferreo cordi impreſsit.
Viget grata publicarum diſputationum memoria ;
in reſponſionibus pro loco cum eruditis colluctatio,
Circulorum frequentia, in cordibus animiſq; hæret virorum.

Nec ſine Deo:

Quoniam Tibi non priùs aliquid aggredi, quam Horis Canonicis perſolutis,
palma-

palmare ſciendi præſidium & tutamen.
Sed quid penna ſcholaſticis immoraris?
ſatis ad gloriam, qui vocationi debitè reſpondit loco in vno.
Scandere altiora tenta,
maiora ex Auguſto ore encomia feret.
Quæ Tu præhende,
& à Suprema Majeſtate facta,
Perennis memoriæ ergò conſigna.
Multis Patrij Lares delicium ſunt;
Penatibus nihil cariùs ducunt: totiq; domeſtici,
iam faſtigium attigiſſe putant, dùm ſibi placuerint.
Non ſic præcelſa Indoles:
altiora iudicia quærit, dùm ſua nulla putat.
Hoc & tibi peculiare.
Qui ad Comitia Varſavienſia, Sacræ Regiæ Maieſtati devotus,
Supremo Tutori Tuo, eidemq; ſubiectorum Lydio lapidi,
Sereniſſimo IOANNI III.
ad diſponendum de Te, in reliqua vita, totum Te tradidiſti.
Principibus placuiſſe viris, prima felicitas;
ſi laus contigit ſuprema.
Hanc Tu vectigalem feciſti, dum generoſam mentem
vivam Prædeceſſorum Tuorum Imaginem,
gravitatem, modeſtiam, prudentiam, ſubmiſſionem,
Sereniſsimæ Majeſtati probatam,
PRINCEPS Auguſtiſſimus admiratus,
Omen ad Magna nati Filij in Te transfudit.
Immenſum gloria calcar habet.
Quæ voto inflammata vno, miteſcere neſcit,
donec ad ſummum pertingat.
Hic ſtimulus pectus tuum, pulchro laudum incenſum amore, perurgebat.
Qui publicæ expectationi reſponſurus, extra Patrios fines
gratiſſimus, vbiq; & viſendus Hoſpes, tantum allaboraſti;
vt, vel Patria in Te, Tuiſq; ſtupendis Virtutibus,
celebraretur auguſtiùs; vel quod hic defuiſſe videbatur,
in Tuum, Patriæ, Familiæq; Tuæ ornamentum, indè colligeres.
Vtrumq; in Te non ſine incredibili voluptate ſuſpexit
Chriſtianiſſimus LVDOVICVS IV Galliarum Rex,
Cui familiare Tecum de Statu Regni Gallici & Poloni conferre;
vnde Principum inibi Virorum corda,
animoſq;, vt totus in delicijs eſſes, occupaveras.

Quapropter tanquam ſpectatiſſimæ delicium mentis & illicium,
mutuis Te vincire favoribus, vna omnium contentio erat.
Quadriènnalem Hoſpitem Gallia coluit,
& iam domeſticum optaverat, niſi Patriæ Tuæ debitor Animus,
vbi ſpiritum hauſeras, totum Te in acceptis dediſſes, perſvaſiſſet.
Ergò in Patriam Tuam felix Redux,
ſed non ſine aureo vellere Iaſon.
Rationis ſtatûs, cultioris vitæ, maioris gravitatis,
experientiæ amplioris, in rebus bellicis ſcientiæ præſidijs munitus:
Totum ſacratiori Ariadnæ, cuiûs ope de Arenis movens,
hoc cæperas; in Claro Monte dicando, conſecrando.
Gratulata Patria Te incolumem excepiſſe;
ſed & Tu gaudebas, Te in illa tempora incidiſſe;
quibus Nobiles ex hoſtibus Chriſtianitatis colligere palmas
occaſio palmaris eſſet.
Caſtra ergo ſequi placuit,
Martēq; Sarmaticū, Turcicis trophæis formidādū, militaribus obſequiis, colere.
Hoc glorioſiſſimo Auſpice, Sarmaticæ Bellonæ primordia
heroicis auſibus approbaſti.
Vndè Illuſtriſſimis vtriuſq; Gentis belli Ducibus,
Te in Partem ſociari, de belli negotijs agere,
parum erat: niſi hos Achilles, non degener Aiax,
fortibus factis aſſequi contenderes.

Non privatus Tibi animus,

Qui publicis ſemper ſtuduiſti.
Quare Comitiolis (quāquàm loco remotior) vt publica attingeres,
non gravatim tuliſti: illa ſorte beatior,
quòd cùm Tibi mens conſcia recti fuiſſet, vota pro Te perorātia,
in Alios, ne negotium laceſſeres, libentiùs ceſſeris,
quàm vindicaveris.
Comitia Grodnenſia appello: quibus Tu etiam præſens,
ubi fuerit corpus, illuc congregari & Aquilas debere;
pio in Principem exemplo docuiſti.
Sic Principi carus, Reipublicæ, Fratribus,
amiciſq; Tuis optabilis;
dùm de omnibus maximè Principibus in Orbe Polono Viris,
mereris; vt pleniùs merereris, in connubialia vota deſinis.

Nec mirum:

Mole vnus gravatur,

Diuiſæ

divisæ cum amico curæ, partem oneris eripiunt.
Et hoc Cordi TVO insederat:
Vt cùm Illustrissimæ Domûs, sed & bonorum Patriæ Civium,
vnio esses; pretia divideres;
vt gemmas famæ vlterioris produceres.
Ergo Tibi desideratissima Coniunx
cælitùs in fœdera venit.
Benè abundeq; fore applausus cecinerat.

Sed eheu!

Dùm firmiùs sic nexa Nomina perennatura,
Flos ætatis pollicetur;

Quod operatus Deus,

Volens bonusq; faveat; & dona, quæ perpetuitas decet, Cælestibus
gratijs ad perennitatem exornet; dùm vota intercedunt:
brevis ecce fit voluptas, & non diu vitale delicium.

Quatuor mensium spatio,

Hymenæo Næniæ surgunt; & quæ humani generis spes,
gaudia & publicos plausus miscebant in vnum,
Vitæ Principis stamina rumpendo, fœdus connubiale XI. Maij.
Anno Millesimo Sexcentessimo Nonagesimo Quinto, dissolvũt.

Subsiste Calame,

sepiam vltro ne fundito.
Sed nec Tu quoq; Illustrissima Prosapia
in Celsissimis IOANNE SAMVELE ZEBRZYDOVIANI
è Materna linea Sanguinis Phænice.
IOSEPHO, Illustrissimæ Domus solatio & longioris spei
desiderio, Fratribus germanis;
CASIMIRO Capitaneo Cremenecensi, Fratre Patrueli
Avitæ gloriæ Hærede auspicato;
Principibus CZARTORYSCIIS.
In Illustrissimis TERESIA de Gosiew Castellana Vilnensi.
THEOPHILA Vexillifera Magni Ducatus Lithuaniæ;
HELENA CONSTANTIA in Mirow Marchionissa,
vt Sororina charitate coniunctissimis,
ita acerrimi doloris vulnere perstrictis,
non tamen excelso animo concidentibus Heroinis;

Illuſtriſſima Conjuge, Proleq; poſthuma,
Fatis indole.
Parentales lacrymas haud Princeps exambit,
Qui nihil in Vita egit dolendum.
Auxit Illi, dum minuere voluit, invida mors Vitæ tempora,
& ubi Eum extingvere conabatur, magis Orbi Illuſtrem reddidit.
Cinis eſt,
ſed de tam Magno reſtabit Achille;
Quem
Illuſtriſſimorum Prædeceſſorum Virtus,
Quem ſua merita facient immortalem.
ÆTERNITATI ſtuduit Ille;
Qui more Catholico, Sacramentis inter ſuſpiria;
ô ÆTERNITAS, munitus;
Vltimum Vale, & Æternum Salve,
in poſthuma memoria deſcripſit.
Ergo dùm Tibi hanc, in finem vſq; ex aſſe Nomini Tuo deditus
precor à Superis,
Vota nuncupo:
ut qui Trabeam Tuam Sarcophago ſubmittens,
Crucis ſub Labaro deponis;
in Regione Vivorum in imarceſcibilẽ
Tibi revireſcentem videas
CORONAM.

